

**Dissertatio inauguralis medica, sistens amenorrhoeam ... / submittit
Auxentius Bogdanovics.**

Contributors

Bogdanovics, Auxentius.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Pestini : Typis Josephi Beimel, 1847.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n8f9ab9v>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS

AMENORRHOEAM

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

NEC NON

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE
HUNGARICA PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA PUBLICAE
DISQUISITIONI SUBMITTIT

AUXENTIUS BOGDANOVICS.

ARTIS OCULISTICES MAGISTER

SERBUS VERSCHECINO - TEMESIENSIS.



Theses adnexae defendantur in palatio Universitatis die

Junii 1847.

PESTINI,
TYPIS JOSEPHI BEIMEL,
1847.

МАНОНДОНА

Unumquemque oportet in hoc studio versatum symbolum aliquod,
utcunque exiguum, in commune Medicinae aerarium contribuere.

Duncani oratio de laud. Harvei.

Leben für Andere, nicht für sich, das ist das Wesen des Berufs eines Arztes. Nicht allein Ruhe, Vortheile, Bequemlichkeiten und Annehmlichkeiten des Lebens, sondern Gesundheit und Leben selbst, ja, was mehr als dies alles ist, Ehre und Ruhm, muss er dem höchsten Zwecke, Rettung des Lebens und der Gesundheit Anderer, aufopfern.

Hufeland.

Живити за другогъ, а не за себе, то е права дужностъ лѣкара. Онъ е дужанъ не само миръ, користъ, угодности и пріятности живота, него и свое здравлѣ, и самъ животъ, шта више, и саму честь и славу, найвишой цѣли т. е. избавленю живота и здравля други, жертвовати.

ОИСТИОЛ КИЭАТНРОПОЈИИ

СЛОВА СВАГДА

иако се тврдјају јакимају тврдјају
коренци не појдју близу. Јасно је овако, иако тврдјају
да је то узрок тешкоћа у већини случаја.

Haec mihi semper erunt imis inixa medullis;
Perpetuusque animac debitor huius ero.

Ovidius.

Ово свагда у моему срцу пребивати.

Нити кадгодь благодарность моя ће престати.

Прелюбезнимъ Родительима

и

Драгимъ Браћама
посвећује ову књижицу

Издаватель.

МНОГОПОЧИТАЕМИ РОДИТЕЛЮ

и

ПРЕМИЛА БРАЂО!

Са радостћу поздрављамъ овай данъ, у који
самъ цѣль давно желајему доспео, и који ми прилику
дао, да Вами, предраги Родителю и мила Брађо!
моју топлу благодарност и искрену любавь явно
исповѣдимъ. Безмѣрна су и многобројна благочине-
ніја, коя сте ми Ви за толико година усрдно укази-
вали; она ме побудише, да Вами многоцѣнени до-
брочинитељи прво дѣлце мое посветимъ, и Васъ
увѣримъ, да се Ваша силна о мени брижљивость и
любавь нигда изъ срца могъ изгладити неће.

Примите daklemъ дѣлце ово као мали даракъ у
знакъ мое усрдне благодарности и найчистијегъ при-
знаня

одъ

искреногъ

Аксентіј.

Definitio.

Amenorrhoea (изостоянѣ времена женског) est sanguinis, qui ad leges aetatis, sanitatis constitutio-
nis aeternas ex organis genitalibus femineis periodice
se, et excerni debuisse, morbosa retardatio, emansio,
difficultas, decoloratio, et plenaria suppressio.

Fluxus menstruus, (menses, catamenia) est fun-
ctio periodica in feminis ab annis pubertatis usque ad
annos sterilitatis perdurans; — dependens ab evolutio-
ne et perfectione vesicularum ovum humanum conti-
nentium, quae omni mense ad superficiem promotae,
hic ruptae vel consumuntur, vel vero in uterum defe-
runtur. Functio haec feminae humanae propria in om-
ni animalium classe deficiens, jure merito inter praero-
gativas humani generis referenda est. Menstruatio fe-
mina humanae propterea peculiaris est, quia in or-
ganismo humano instinctus sexualis ipsi psyche sub-
ordinatus est, ubi caetera animalia instinctu quasi auto-
matico (brutali) coitum celebrant.

Zoologi fluxum hujusmodi aliis animalibus quo-
que attribuunt, uti: equae, cervae, vaccae, ast proflu-
vium hoc valde parcum, periodo caret, veneris solum
cupidine adveniente videtur mutationes haud tales ut
in femina humana inducens.

Tempus menstruationis a climate dependet; apud
nos inter 14 — 18 aetatis annum, in Gallia, Hyspania, ac

Italia 12. jam aetatis anno, in Svetia et Russia inter 16—20, in Alpibus Tyrolis ac Styriae, non secus Helvetiae 22. anno observantur. Tempus menstruationis dependet adhuc a gradu evolutionis organismi, temperamento, educatione, a familiaritate cum sexu masculo, ab alimentis aromate conditis, spirituosis, purgantibus, usu stimulantium incauto, ab aetate, vitae genere, animi affectibus.

Divisio.

Sequentes amenorrhoeae species statui possunt.

1. Menses emansi, si menstrua penitus non accedant.

2. Menses suppressi, si fluxus menstruorum ante regularis, suppressio partialis vel totalis citra graviditatem ac lactationem, ut plurimum cum graviditate, aut dolore lumborum et hypogastrici, cephalalgia, ac dispnoea generati, aut affectionibus topicis juncta variis sit.

3. Menses difficiles, si fluxus menstrualis solita periodo regulariter apparens, sed dolorificus sit.

4. Menses retardati, fluxus menstruorum deficiens tempore pubertatis, quae alias, more in diversis climatibus consveto, apparere solent, cum symptomatibus morbosis variis.

5. Menses pauci, si menstruorum stilicidium quidem adsit, sed relate ad aetatem et consuetudinem nimis parcum, aut in periodis suis servandis intermittit (quibusdam menses rari aut inordinati).

6. Menses decolores, dum in locum sanguinis mucus, vel serum evacualur.

Diagnosis.

Haec non est adeo facilis ac videtur, partim quia puellae graviditatem, quae frequens est causa, celant, partim quia saepe nec sciunt se gravidas esse.

Imago morbi. Phoenomena amenorrhoeae consistunt in moliminibus sic dictis catamenialibus, quorum periodica reversio certissimum indicium amenorrhoeae est.

Symptomata haec sunt: 1. ea systematis nervosi affecti, huc spectant: sensus debilitatis, defatigationis, ponderis imprimis in extremitatibus, sensus frigoris ac ardoris in variis corporis partibus; dolores vehementes, spasmi diversi, deliria, animi deliquia, hysteria, epilepsia, catalepsis, paralyses diversarum partium, apoplexia et aliae nervorum affectiones.

2. ea systematis vasorum, uti sunt: pressio in pectore ac abdomine imprimis in regione sacrali, anxietas, palpitatio cordis, pressio ventriculi, appetitus depravatus, digestio lenta, aut subflaminata, nutritio parca, hinc diversae cachexiae, uti: chlorosis, hydrops, haemorrhoides, arthritis, icterus et aliae affectiones.

3. ea systematis uterini huc spectant dolores ardentes ad regiones lumbales et os sacrum, ad symphysis ossium pubis et perineum; calor major in genitalibus, instinctus major in venerem, dolor urens sub urinae et alvi evacuatione, colica catameniali nexus.

4. symptomata gastrica imprimis horis matutinis accendentia sunt: nausea, ructus, vomititio, vomitus materiei diversae indolis, scilicet succorum ventriculi depravatorum, materiei biliosae, alias sanguinolentae.

5. symptomata a secretione vicaria dependentia uti est: epistaxis frequentisse, rarius haematuria, haemoptisis, haemorrhagiae e gingivis, oculis, ulceribus habitualibus, sudor ac saliva cruenta; haemorrhagiae e mammis, auribus, umbilico etc.

Haec symptomata durant per 4—6 dies; tunc disparent et sanitas relativa restituitur, donec 4-ta circiter septimana iterum revertantur.

Aetiology.

Causae menstruationis suppressae; huc confert irritabilitas corporis totius ac in specie systematis uterini, per quam corpus foemineum injuriis externis repente expositum, uti refrigerio, quae causa ejus frequentissima est, item animi pathemata excitantia similem effectum producunt. Sic dictae potentiae vitam exaltatam ab utero derivant, illam ad aliud organon transferendo, aut actionem omnem in systemate genitalium vigentem subito delendo, mensium suppressionem inducere valent.

Ad menstrua retardata producenda sequentia requiruntur:

a) Evolutio totius systematis genitalis minus perfecta, ac norma exposcit, minor ideo illac est confluxus humorum, reactio ibidem debilior, sanguinis excretionem promovendi impotens. Superfluum enim materiae plasticae, tum potissimum per alia organa quaerit exitum

b) Debilitas et torpor organorum sexualium innata vel per morbos alios infantiles, vitae genus, consuetudinem pravam, onaniam imprimis inducta mensium eruptioni obicem ponere possunt. Huc vitae genus sedentarium, aer humidus, frigidus, corruptus, victus parum nutriens, animi pathemata deprimentia, tristitia, moeror, amor infelix, curae, vigiliae frequentius organismum afficientes, cathexias varias producentes, evolutionem pubertatis, ac mensium retinent. Huc denique spectat praematurus excessus in venere, genitalia debilitans, conceptionem ac menstruationem impediens.

c) Status in systemate vegetationis abnormis, quo assimilatio turbatur. Huc pertinent: debilitas organorum, digestionis, obstructio glandularum mesaraicarum et pancreatis, infarctus hepatis, vel lienis, his sanguificationem abnormem reddi, nullus dubitabit.

d) Energia systematis tandem arteriosi, superior illa venosi. Exemplo sunt puellae rusticae, exercitatae, aere puro gaudentes, in his pubertatis ac catameniorum proruptio plerumque segnior est, abundante ceteroquin materia plastica, et insinuantibus se quibusdam moliminibus ad menstruationem, haec tamen non comparent non alia ex causa, quam ob eminentem systematis arteriosi energiam vitalem. In similibus individuis molimina illa, quae pure systemati vasorum attribuenda sunt, gradum morbosum attingunt, et perinde recurunt; dolores capitis, vertiginem, dispositionem ad inflammationes, febres, apoplexias, asphyxias post se trahentia.

e) Vitia organica. Uterus et vagina viciose organisata, sanguinis secreti evacuationem cohibens; atresia vaginae vel orificii uteri, imperforatum hymen (atresia hymenitis) haec vitia causant quibusdam in casibus emansionem menstruorum, prouti et ea, quae parenchyma uteri ac vasa ejus nimis coarctata, dura, desorganisationes et deformitates genitalium connatae vel acquisitae.

Ad menses paucos praeter causas nunc adductas imprimis induratio uteri contribuit. Hoc vitium sive congenitum, sive morbis praegressis acquisitum, effluxum sanguinis debita quantitate ex utero impedit, quia irritabilitas et actio vitalis in vasis sangviferis aut immunita aut penitus prostrata est. Morbo igitur hoc gradum majorem attingente plerumque omnis sanguinis effluxus suspenditur. Hinc mala morbum illum concomitantia supra jam exposita oriuntur.

Ad decursum mensium inordinatum confert morbosa irritabilitas corporis totius, ac in specie systematis uterini, per quam corpus injuriis variis externis expositum, influxibusque his multum subjectum est, ut his parere debeat. Hinc est, ut post irritationes psychicas vel somaticas, iram tristitiam, gaudium, errores in vitae regimine, motus corporis velociores catamenia in

conspectum prodeant. Confert huc porro refrigerium, usus thoraculorum ac fasciarum arcte corpus stringentium. Infaustum denique in secretiones uteri inordinata effectum ingurgitationem ciborum difficulter digerendorum exerere neminem fugit, qui turbarum ventriculi effectus in singulas tum animi tum corporis functiones, imprimis illas uteri, intellexerit.

Denique causa mensium decolorum in adaucta secretione muci consistere videtur. Augetur haec secretio morbosa quavis menstruationis periodo, quia illa ingruente sensibilitas uteri major humores quoque majori copia invitat et assumit.

Momentis causalibus disponentibus adnumerari debet debilitas et laxitas totius systematis uterini, onania coitu frequenti, erroribus dietae, vel haereditate inducta, huc quoque processus morbosus specificus in membrana mucosa uteri ac vaginae membrana vigens blenorrhoicus, scrophulosus, rheumaticus, herpticus, referri debet. Causae excitantes statuuntur vestitus extremitatum inferiorum calidus, calor ollarum oper genitalibus admissus, vitae genus iners, molle, abusus thearum, purgantium, — ideo fluor albus incolarum urbium majorum flagellum est, juxta Raimannum in Polonia endemicus. His denique adnumerari meretur amor infelix, tristitia, somnus protractus, pingvium, farinaceorum abusus, ac habitatio humida.

Prognosis.

Considerantur hic: gradus, stadium et fons morbi, an scilicet in organo secernente, excernente, vel toto organismo lateat; dein causae, relationes individuales: aetas, constitutio, temperamentum, morbi co-existentes. Amenorrhoea a plethora dependens facilioris est sanationis, ac illa ab anhaemia dependens; difficillime sanatur ea a torpore genitalium dependens.

Prognosis mensium retardatorum pro ratione originis mali, momentorum causalium constitutionis ac dispositionis aegrae varia erit. Si vitia organica arte sufferri possunt salus sperari potest, alias funestus plerumque exitus. Malum ex morbis praesentibus vel praegressis inductum, secundum eorum naturam, vim extensionem et sanabilitatem dijudicabitur. Notandum hic, morbos acutos malum producentes laetiorum prae chronicis admittere prognosim. Dum denique systematis arteriosi energia illam venosi superans causa retardationis menstruorum est, symptomata saepe valde ominosa comparent, quibus natura debellandis intenta cum arte juncta tutam ferre solet medelam, quare hic prognosis laetior.

Prognosis mensium paucorum sub iisdem circumstantiis, uti supra dictum fuit, est laeta, quas raro vitae aegrae periculum struentes morbi sequuntur, quamvis phoenomena levioris momenti in hoc casu frequenter occurrant.

Cum menstrua rariora actionem vitalem uteri semper fere abnormem testentur, concludere licet, conceptionem et graviditatem hujus vitii sequelas participare, indeque unam alteramve turbari, quamobrem epicrisis hoc sub respectu limitanda est. Sunt tamen exempla, mala haec per coitum depressam vitalitatem uteri moderate excitantem, curata fuisse, prognosis hic faustior ac in priori casu. Inordinate fluentia menstrua eandem agnoscant praesagiendi rationem, quae simul saepius se insinuantia et largiori quantitate fluentia debilitatem et pronitatem ad cachexias inducunt, quibus sanitas, imo vita ipsa periclitari possunt.

Prognosis menstruorum retentorum aut suppressorum dependet a momentis pluribus. Quousque conservata molimina periodum menstruam antecedunt, hos naturae conatus adhuc superstites Medicus subsidio suo fovere poterit; si vero omnis naturae conatus cum secretione ipsa menstrua emanserint, ambigua magis sors

aegrae futura, dein quo diutius menstrua redire cunctantur, maxime si vel ex suppressione mensium, vel ex morbo, qui hanc induxerat, complicatio gravior secuta est, eo major curationis difficultas.

Prophetia limitata pronunciabitur in fluore albo, quoniam hic organismo largam quantitatem humorum subtrahit et sterilitatis causa consuetissima est, morbi duratione longiori plerumque et cura difficilior exspectanda erit, praecipue sub dispositione ad hunc morbum haereditaria et pronitate per alias morbos inducta. Tandem praeter frequentem mulierum hoc profluvio laborantium sterilitatem, si forsitan conceperint, frequentes quoque ex causis facile levioribus abortus patiuntur.

Therapia.

Hic prae omnibus requiritur, ut firmissima sit diagnosis; amenorrhoea imprimis a graviditate et chlorosi distinguenda. — Fons etiam mali rite prespiciendus. Amenorrhoea est interdum salutaris et nullam curam requirit, uti post typhum, scorbutum, hydropem, morbum Brightii, qua opus naturae anhaemiam sufferre nitentis.

Prima indicatio exigit:

a) ut causae excitantes stricte tales amoveantur, si praesto sint, huc pertinent vitia organica: ut atresia vaginae, oris uteri, hyminis labiorumque pudendorum quae ad sui sanationem unice manum chirurgicam exposcunt; situs uteri vitiatus repositione congrua inimice agere cessat; scirrhus, induratio, cancerque uteri nisi remediorum solventium usui longiori cedunt; quorum quaedam ad regnum vegetabile mitius agentia pertinent ut: radix taraxaci, graminis, saponariae, herbae fumariae, etc. quaedam ad regnum minerale fortius agentia spectant ut: praeparata hydrargyri, stibii, sulfuris, jodinaeque, quae tam externe, quam interne di-

versissima forma exhiberi solent. Saepe palmam prae-
ripiunt horum efficaciam aquae soteriae alcalinae, hydro-
thionicae, sulfureae etc. quae forma balnei, jam potus,
jam injectionis in usum vocantur.

b) Potentiae morbum exacerbantes remote tene-
antur.

c) Dispositio ad recidivas per congruum regimen
diaeteticum quantum fieri potest, deleatur.

Secunda indicatio exigit, ut in cura amenorr-
hoeae ratio characteris principalis habeatur, ideo

a) Si morbus cum plethora incedat, congestioni-
bus ad organa nobilia sese manifestantibus, ratio sva-
det et experientia testatur, ut has pro gradu intensi-
tatis symptomatum sine mora per sanguinis evacuatio-
nem jam universalem, jam topicalam mitigemus; interne
vero remedia antiphlogistica ut tartarus tartarisatus,
borax, tartaras lixivae acidulus, sulfas lixivae, sodae,
magnesiae, calomela etc. his adjungi possunt potus re-
frigerantes aciduli etc.

Externe autem applicentur fomenta calida jam
sicca jam humida ad partem abdominis utero respon-
dentem, regio autem congestionis affecta frigore mo-
derato foveatur. Victus sit parum nutriens, potius ve-
getabilis quam animalis; vitatisque omnibus, quae ver-
sus superiora congestionibus ansam praebarent, resti-
tutoque fluxu mestruo; omnem curam in id impendat
medicus, ut illum in suo tenore jugiter conservet.

b) Praesente sensibilitate systematis nervosi ul-
tra normam elata, haud raro insultibus spasmodicis
manifestata: remedia antispasmodica tam interne quam
externe utilissime convenient, talia sunt infusum florum
chamomillae vulgaris, radicis valerianae sylvestris,
serpentariae, virgineae, praeparata ammonii: ut spi-
ritus salis ammoniaci anisatus, lavandulatus; digitati
purpurea, ipecacuanha dosi refracta, asa foetida, aethe-
res; in majori adhuc symptomatum nervosorum vehe-
mentia moschus atque castoreum.

Externe clysmata ex infuso florum chamomillae vulgaris, rad. valeriana sylvestris in connubio cum extracto hyosciami asa foetida; intunctiones porro volatiliter stimulantes ad abdomen; balnea tepida aut semicupia tepida, pediluvia ex infusis aromaticis parata multum emolumenti ferunt.

c) Ad erigendam energiam systematis vasorum, indicantur tunica antispasmodicis supra dictis juncta; meminerit tamen medicus attentionem suam ad organa digestionis quoque tempestive convertere; nisi vires digestoriae debito in vigore conserventur, planum therapeuticum spe praeconcepta adornatum, in contrarium detorquetur. Hinc usum tonicorum incipere oportet a mitioribus, efficaciam suam magis in organa digestionis dirigenibus, quae haec fere sunt: centaureum minus, trifolium fibrinum, carduus benedictus, etc. praeparata chiae et ferri, quae efficaciora dicuntur.

Non pauci peculiarem virtutem tribuunt radici rubiae tinctorum in amenorrhoea sananda, cuius pulvrem ad drachman semis pro dosi, aut ejus decoctum ex uncia semis, una paratum exhiberi svadent. Experiencia tamen teste majorem dignitatem obtinuit cortex chiae, quem forma infusi, decocti, rarius extracti, cum summa utilitate adiplicere celeberrimi amenorrhista rum medici; non minoris dignitatis sunt praeparata chiae recentiore inventa ut sunt sulfas, murias, phosphas, valerianas chinini, imprimis si cum pharmacis volatiliter stimulantibus cum cautela propinentur.

Omnium tonicorum hucadusque recensitorum virtute saepe antecellunt praeparata ferri summa cum circumspectione adhibiti, in quorum tamen delectu ea cautela incedere oportet, ut illa, quae et adiplicatu et digestu faciliora noscuntur, praemittantur iisdem hac indole destitutis. Hinc ferrum muriaticum ammoniacale scopo in quem medicus intendit, ab initio optime respondebit, cuius dosis ab initio sunt grana duo, dein ultiro augetur, commodissime exhibetur forma pilulari;

cum tamen humorem ex atmosphaera cito attrahat, hujus loco solutionem alcoholicam plures commendant, tincturam nempe martis aperitivam vulgo dictam ad guttas decem usque triginta ascendendo in vehiculo quodam aromatico. Ejusdem efficaciae esse censentur malas, lactas, carbonas ferri. Frequenter omnem pharmacorum roborantium efficaciam superant aquae martiales, uti sunt: celebratissimae in nostra Patria acidulae Bartfaenses, Füredienses, Ribarienses etc. domique parata artificialis e globulis martialibus.

Facta sanguinis ad intima cavorum penetralia congestione ob primario affectam irritabilitatem, haec per relativum sensibilitatis suprapondium temperanda: siat initio evacuatio sanguinis saltem moderata per hirudines instituta, dein curetur, ut sanguis per revellentia ad systema uterinum ducatur; quod contingit per applicationem caloris forma fomenti jam sicci jam humidii, jam balnei tepidi ut supra monuimus, pediluviique moderati.

d) Praesente totius organismi, imprimis vero systematis uterini torpore eminente in gradu evoluto; contra torporem requiruntur sic dicta emenagogica incitania uti: crocus, sabina, gummi ammoniacum, myrrha, asa foetida, ferrum hydrojodatum.

3. Contra diversos morbos irritativos, congestivos, inflamatorios, nervosos, cutaneos cum amenorrhoea coexistentes, pro diversa earum natura diversa adhibeantur remedia revellentia, epispastica, antiphlogistica, antiuterina e. s. p.

4. Denique indicatio, quae convalescentiae rationem habere jubet, haec solum in eo consistit, ut morbus imprimis longius excurrens in convalescentiae periodo dissipatis omnibus morbi symptomatibus, idem remediorum usus continuetur ad notabilem virum recuperationem usque, vitatis simul omnibus potentissimis inimicis, quae vel minimum influxum in corpus exercerent.

Theses defendenda.

1. Una e frequentissimis causis morborum muliebrium est tardatus fluxus menstruus.
2. Mater sana, prolem lactans, nec sanitatis, nec pulchritudinis damnum patitur.
3. Multa mala fundantur in prava educatione.
4. Rubeola est modificatio scarlatinæ spectata sua natura.
5. Varicellae constituunt morbum specificum a variolis distinctum.
6. Febris puerperalis non existit sed morbi puerperales.
7. Bruma pulmoni, aestas hepatici infensa.
8. Tuberculosis consistit in crassi sangvinis albuminosa non vero in hyperinosa.
9. Reclinatio et concisio cataractæ extractioni praferenda Fabini.
10. Vitia cordis sicut et Rhachitis excludunt tuberculosim.
11. Inoculatio certissimum signum ulceris syphilitici.
12. Blenorhoea syphilitica generare syphilidem secundariam rarissime valet.
13. Anatomia Pathologica percussionis et auscultationis basis, fulcrumque.
14. Venenorum narcoticorum actio est negativa.
15. Docimasia pulmonum sola — dubia.